

diuinæ imago, numinis maiestate longe dignissima. Tam late enim patet, vt non modo omnem intelligendi vim complectatur, verum ad reliquas etiam proprietates, cum ea coniunctas, pertineat. Quocirca præter *omniscientiam*, quæ res quaslibet simul pleneque contemplatur, viua erit *voluntas* Dei, quæ tanto plura melioraque appetet, quo amplior fuit intelligentiæ in cognoscendis bonis perspicientia. Viua erit *sapientia*, quæ copulat inter se res, artificiose digerit, aptissimisque subsidiis seu mediis fines suos optimos moderatur. Viua *sanctitas*, quæ ea appetit, quæ perfectissimæ Dei naturæ accommodata sunt. Viua, quæ rerum creatarum commodis inseruire cupit, *beneficentia*. Ita reliquæ etiam virtutes Dei, quæ ex intelligentia et voluntate, tanquam ex fonte, dimanant, viuæ erunt ad vnâ omnes. Quæ omnia, disputata hætenus, si volueris vnâ definitione comprehendere, *vita Dei* complectetur *internam continuamque ipsarum Dei virtutum agitationem*

## §. IV

PERGIMVS ad alteram vitæ Dei contemplationem, quam *relati- Vita Dei ad  
uam* recte dixeris, multo etiam priori illa faciliorem. Quam qui co- mundum  
gitat, fieri non potest, quin semper aliquam rerum creatarum cogita- relata  
tionem adiungat, ad quas se referat infinita Dei vis, et in quarum  
vel creatione, vel cura, occupata reperiatur. Neque enim hic de  
fundamento huius vitæ loquimur, quod in ipsa numinis essentia, eius-  
que vi infinita omnia procreandi, procreataque tuendi, positum esse,  
omnes confitentur. Etenim cum hæc propria Dei atque eximia virtus  
fit, vt ipse ex alio nemine, contra ea omnia ab ipso, pendeant, profe-  
cto ab æterno iam necesse fuit, vt creatæ res, si quæ olim futuræ  
sint, ortum suum a Deo repetant. Hæc numinis proprietas quamuis  
nonnunquam vitæ nomine in philosophorum scriptis vsurpari soleat,  
videtur tamen ab loquendi consuetudine paullulum recedere, cui qui  
inhaerent, *vita Dei relatiua* complectuntur *vim potestatemque infinitam,*  
*omnia efficiendi, sed extrinsecus demonstratam,* actionesque Dei ex-  
ternas omnes, creationem potissimum atque prouidentiam. Esse  
vero hanc vitæ Dei notionem in vulgus notam, inde colligitur,  
quod subinde audis homines afflictis animis pacem conciliare actiuosi  
Dei cogitatione, qui rerum humanarum non otiosum spectatorem se  
præbeat, sed iis sapientissime prospiciat. Atque hæc notio vulgi  
ingenium non superat, a quo subtilior illa, quam §<sup>pho</sup> superiori tradi-  
dimus,

B

dimus,